



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 122. Parisiensis Parlamenti edictum adversus Lutheri libros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

cuncta ista Procuratori Generali per edictum ^{Sæcul. XVI.} Curiae tradita, & ipse Berquinus iterato in ^{A.C. 1523.} pleno Curiae Consessu auditus fuisset, præcepit eadem Curia, ut Ludovicus Berquinus unacum libris suis ad Parisiensem Episcopum remittatur, qui duos dictos Curiae Consiliarios, ac nonnullos Facultatis Theologicæ Doctores advocet, ut communi opera circa ipsum factum, & crimina, de quibus accusatur, sententia feratur. Post hæc die octava Augusti Rex Berquinum ex Episcopali carcere per Fridericum Tribunum extrahi, cauissamque ad Regium Consilium evocari jussit, ubi a Cancelario judicatus ac condemnatus fuit, ut quasdam propositiones hæreticas abjuraret, quod & præstítit.

§. CXXII.

Parisiensis Parlamenti edictum adversus Lutheri libros.

Die duodecima Mensis Augusti eodem Anno Parlamentum adversus Lutheri libros aliud promulgavit edictum ^{Argentre pag. 407.} hujus tenoris: Cum Procurator Generalis libros a Martino Luthero compositos, utpote pluribus erroribus ac damnatis haeresibus refertos comburi postulasset, omnibus & singulis cuiuscunque status ac conditionis prohibemus, ne præfatos libros & Lutheri doctrinam vel

B b 3

reti-

Secul. XVI retineant vel allegent, quocirca singu-
A.C. 1523 lis præcipimus, ut intra triduum ad Cu-
 riæ nostræ forum prædictos libros affe-
 rant, atque deponant, sub pœna car-
 ceris, & bonorum proscriptionis Laicis,
 Ecclesiasticis vero sub pœna exilii
 extra Regnum, & proscriptionis bono-
 rum temporalium. Statuimus igitur,
*ut perspectis Theologicæ Parisiensis Facul-
 tatis iudicio hac de re lato, necnon præfa-
 tis libris, ac conclusionibus a Procuratore
 Generali scripto datis, omnes libri a Lu-
 theri compoſiti tanquam dannati in atrio
 Templi ad Beatam Virginem publice igni
 concrementur, atque ut hoc fiat, Regis ac
 Curiae nostræ autoritate singulis cuiuscun-
 que status ac conditionis præcipimus, ut om-
 nes, quotquot habent, Lutheri libros se-
 quenti feria sexta ad præfatum locum &
 forum deferant, ac relinquant, quo termi-
 no evoluto pœnam incurvant bonorum con-
 fiscationis, & proscriptionis a Regno. In-
 jungimus quoque cunctis Judicibus, & Mi-
 nistris, ut omnes illos, quos aut dicti Lu-
 theri doctrinam tenere, vel allegare, aut
 illius libros retinere deprehenderint, com-
 prehendant, captosque velut de hæresi suspe-
 ctos Episcoporum manibus consignent. Hoc
 edictum in præcipuis Urbibus Parlamen-
 ti jurisdictioni obnoxiiis, veluti Parisiis,
 Lugduni, aliisque civitatibus promul-
 gatum fuit.*

§. CXXIII.